

Ordinarium et Canon Missae

SECUNDUM USUM INSIGNIS ET PRÆCLARÆ ECCLESIÆ SARUM.

ORDINARIUM MISSÆ.

Ad Missam dicendam, dum Sacerdos induit se sacris vestibus, dicat Hymnum sequentem.

Hymnus.

Veni, Creator Spiritus,
mentes tuorum visita:
imple superna gratia
quæ tu creasti pectora.

Qui Paraclitus diceris,
donum Dei altissimi,
fons vivus, ignis, caritas,
et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
dextræ Dei tu digitus;
tu rite promissum Patris,
sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
infunde amorem cordibus:
infirma nostri corporis.
virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
pacemque duces protinus;
ductore sic te prævio
vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
noscamus atque Filium;
te utriusque Spiritum
credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
nobisque mittat Filius
charisma Sancti Spiritus.
V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

Ordinary of the Mass

Oratio. Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Qui tecum vivit et regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde sequatur.

Antiphona, Introibo ad altare Dei.

Collect for Purity

Psalmus. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus, fortitudo mea : quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Antiphona. Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Psalm 43

Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem; Sed libera nos a malo.

Ave Maria.

Lord's Prayer

His finitis et Officio Missæ inchoato, cum post Officium Gloria Patri incipitur, accedat Sacerdos cum suis ministris ad gradum altaris, et dicat ipse Confessionem, diacono assistente a dextris et subdiacono a sinistris. Hoc modo incipiendo,

Et ne nos inducas in temptationem. Sed libera nos a malo.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Introit & approach to the Altar

Sacerdos dicat: Confiteor Deo, beatæ Mariæ, omnibus sanctis, et vobis; quia peccavi nimis, cogitatione, locutione, et opere: mea culpa: Precor sanctam Mariam, omnes sanctos Dei, et vos, orare pro me.

Ministri respondeant,

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra; liberet vos ab omni malo; conservet et confirmet in bono; et ad vitam perducat æternam.

Sacerdos. Amen.

Et postea dicant, Confiteor. Quo dicto dicat Sacerdos, Misereatur, ut supra. Deinde dicat Sacerdos,

Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatum veræ pœnitentiæ et emendationem vitæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.

Ministri respondeant, Amen

Et sciendum est, quod quicumque sacerdos Officium exsequatur, semper Episcopus, si præsens fuerit, ad gradum altaris dicat Confiteor, Misereatur et Absolutionem.

Deinde dicat Sacerdos Versum,

V. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Sit Nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oremus.

Deinde, finitis precibus, Sacerdos deosculateur diaconum, et postea subdiaconum, ita dicens,

HABETE osculum pacis et dilectionis, ut apti sitis sacrosancto altari, ad perficiendum officia divina.

Et hoc semper observetur per totum annum nisi tantum in missis pro defunctis, et in tribus proximis feriis ante Pascha.

His itaque peractis, ceroferarii candelabra cum cereis ad gradum altaris dimittant; deinde accedat Sacerdos ad altare, et dicat in medio altaris tacita voce, inclinatoque corpore et junctis manibus,

Mutual confession & absolution of the Celebrant & Ministers

Oremus.

AUFER a nobis, quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire; Per Christum Dominum nostrum.

Tunc erigat se Sacerdos et osculetur altare, et hoc in medio, et signet se in facie sua ita dicens,
IN NOMINE Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Collect

Deinde ponat diaconus thus in thuribulum, et dicat prius Sacerdoti Benedicte. Et Sacerdos dicat, Dominus. Ab ipso benedicatur hoc incensum in cuius honore cremabitur. In Nomine Patris etc.

Tunc diaconus, ei thuribulum tradens, deosculateur manum ejus, et ipse Sacerdos thurificet medium altaris et utrumque cornu altaris, primo in dextera, secundo in sinistra parte, et interim in medio.

Deinde ab ipso diacono ipse Sacerdos thurificetur; et postea Textum ministerio subdiaconi Sacerdos deosculateur.

His itaque gestis in dextro cornu altaris cum diacono et subdiacono, Officium missæ usque ad Orationem prosequatur, vel usque ad Gloria in excelsis, quando dicitur. Et post officium: et postea dicitur Gloria in excelsis et sicut erat. Tertio repetatur officium: sequatur Kyrie.

His finitis et officio inchoato, cum post officium, Gloria Patri, incipitur: tunc accedant ministri ad altere ordinatim: primo ceroferarii duo pariter incidentes; diende thuribularii: post, subdiaconus: exinde diaconus, post eum sacerdos: diacono et subdiacono casulis indutis. Quo facto sacerdos et sui ministri in sedibus paratis se recipient, et expectent usque ad Gloria in excelsis: quod incipiatur semper in medio altaris quandocunque dicitur.

GLORIA IN EXCELSIS DEO, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex coelestis, Deus, Pater omnipotens.

Domine Fili Unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Post inceptionem Gloria in excelsis divertat se Sacerdos ad dextrum cornu altaris, et ministri cum eo prosequentes, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris, submissa voce dicant idem.

Per totum Adventum non dicitur Gloria in excelsis de quocumque dicitur missa, nec a Septuagesima usque ad vigiliam Paschæ.

Censing

His itaque peractis factoque signaculo crucis in facie sua vertat se Sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis juncisque manibus dicat,
Dominus vobiscum.

Et chorus respondeat,

Et cum spiritu tuo.

Et iterum revertat se Sacerdos ad altare et dicat,

Oremus.

Deinde dicitur oratio, sic determinado.

Per omnia sæcula sæculorum.

Et si aliqua memoria habenda est, iterum dicat sacerdos, Oremus, ut supra. Et quando sunt plures collectæ dicendæ: tunc omnes orationes quæ sequuntur sub uno Per Dominum et uno Oremus dicantur: ita tamen quod septenarium numerum escedere non debent. Et semper dum stat sacerdos ad officium missæ: post eum stet diaconus directe in proximo gradu, et subdiaconus simili modo dorecte in secundo gradu post diaconum: ita ut quoties sacerdos ad populum se convertit, diaconus similiter se convertat. Subdiaconus vero interim genuflectendo de capsula sacerdotis aptanda subministeret. Sciendum est autem quod quicquid a Sacerdote dicitur ante Epistolam, in dextro cornu altaris expleatur, præter inceptionem Gloria in excelsis. Similiter fiat post perceptionem Sacramenti. Cætera omnia in

medio altaris expleantur, nisi forte diaconus defuerit. Post introitum vero missæ unus ceroferariorum panem vinum et aquum quæ ad Eucharistiæ ministrationem disponuntur, deferat: reliquus vero pelvum cum aqua et manutergio portet. Chorum licet ingredi usque ad complementorium primæ collectæ.

Collect of the Day & Memorials

Incepta vero ultima oratione ante epistolam: subdiaconus par medium chori ad legendum Epistolam in pulpum accedat. Et legatur epistola in pulpito omni die dominica, et quadocumque chorus regitur per totum annum: et in die cœnæ et in vigilia Paschæ et penthe. et in com. animarum. In omnibus vero aliis festis et feriis, et in vigiliis, et in quatuor temporibus extra ebd. penthe. ad gradum chori legatur tam in quadragesima quam extra quadragesimam.

Quando epistola legitur duo pueri in superpelliciis facta inclinatione ad altare ante gradum chori in pulpitum per medium chori ad Gradule incipiendum se præparent, et suum versum cantandum. Dum versus gradulis canitur duo de superiori gradu ad Alleluya cantandum cappas servicas se induant. Et ad pulitum per medium chori accedant. Sequatur Alleluya. Finito Alleluya, sequatur Sequentia.

Epistle & Gradual

In fine Alleluia vel Sequentiæ vel Tractus, diaconus antequam accedat ad Evangelium pronuntiandum thurifecit medium altaris tantum. Nunquam enim thurifecetur lectrinum ante pronuntiationem evangelii. Deinde accipiat Textum, scilicet librum Evangeliorum, et humilians se ad Sacerdotem stantem coram altari, versa facie ad meridiem ita dicat, sine nota,

Jube, domine, benedicere.

Sacerdos respondeat,
Dominus sit in corde tuo et in ore tuo ad pronuntiandum sanctum Evangelium Dei. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et sic procedat diaconus per medium chori, ipsum textum super sinistram manum solemniter gestando ad pulpitum accedat, thuribulario et ceroferario precedentibus. Quadocumque enim legitur et evangelium. Et cum ad locum legendi pervenerint: textum ipsum subdiaconus accipiat; et a sinistris ipsius diaconi quasi oppositus ipsum textum dum evangelium legitur teneat: ceroferariis diacono assistentibus: uno a dexteris et reliquo a sinistris ad eum conversis. Thuribularius vero stet post diaconum ad eum conversis. Et semper legatur evangelium versus aquilonem. Cum autem inceperit evangelium: post Dominus vobiscum faciat signum crucis super librum: deinde in sua fronte, et postea in pectore cum pollice.

Sancti Evangelii secundum —.

Gloria tibi, Domine.

Lecto Evangelio osculetur librum: et accedens subdiaconus statim porrigat ei Textum quem ipse diaconus ex directo pectore deferat, et offerat Sacerdoti deosculandum.
Finito Sacerdos Evangelio in medio altaris incipiat.

Censing, Prayers, & Gospel

CREDO in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem cœli et terra, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre

natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, Qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Nicene Creed

Stet autem Chorus ad altare conversus ab inceptione Credo in unum quousque Chorus ipse cantet, et ad altare ter se inclinet Chorus; scilicet cum dicitur Et incarnatus est; secundo cum dicitur Et homo factus est; tertio cum dicitur crucifixus etiam pro nobis; et in fine, cum dicitur Et vitam venturi quousque inchoetur Offertorium.

Deinde Sacerdos conversus ad populum dicat Dominus vobiscum; Chorus respondeat Et cum spiritu tuo. Item Sacerdos ad altare dicat Offertorium.

Post Offertorium vero porrigat diaconus Sacerdoti calicem cum patena et sacrificio, et osculetur manum ejus utraque vice. Ipse vero accipiens ab eo calicem, diligenter ponat in loco suo debito super medium altare, et inclinato parumper elevet calicem utraque manu, offerens sacrificium Domino, dicendo hanc orationem,

SUSCIPE, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam ego indignus peccator offero in honore tuo, beata Mariæ et omnium Sanctorum tuorum, pro peccatis et offenditionibus meis: et pro salute vivorum et requie omnium fidelium defunctorum.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti acceptum sit Omnipotenti Deo hoc sacrificium novum.

Offertory & Prayers

Dictaque oratione, reponat calicem et cooperiat eum cum corporalibus, ponatque panem super corporalia decenter ante calicem vinum et aquam continentem; et osculetur patenam, et reponat eam a dextris super altare, sub corporalibus parum cooperiendo. Hoc peracto accipiat thuribulum a diacono et thurifacet sacrificium. Et dum thurificat, dicat versum sequentem, Dirigatur, Domine, ad te oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Postea thurifacet ipse Sacerdos ab ipso diacono. Deinde acolythus thurifacet Chorum.

His itaque peractis, eat Sacerdos ad dextrum cornu altaris, et abluit manus dicens,

MUNDA me, Domine, ab omni inquinamento mentis et corporis; ut possim mundus implere opus sanctum Domini,

Diacono interim ipsum altare in sinistro cornu thurificantem.

Ablutis manibus Sacerdos revertat se ad altare ad divinum officium exsequendum, et stans ante altare, inclinato capite et corpore, junctis manibus, dicat hanc orationem,

IN spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te; et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut a te suscipiatur hodie, et placeat tibi, Domine Deus meus.

Et erigens se, deosculetur altare a dextris sacrificii; et dans benedictionem ultra sacrificium, postea signet se dicens, In Nomine Patris, etc.

Deinde vertat se Sacerdos ad populum, et tacita voce dicat,

ORATE, fratres et sorores, pro me, ut meum pariterque vestrum acceptum sit Domino Deo nostro sacrificium.

Responsi cleri privatim,

Spiritus Sancti gratia illuminet cor tuum et labia tua, et accipiat Dominus digne hoc sacrificium laudis de manibus tuis pro peccatis et offensionibus nostris.

Censing & Lavatory

Et reversus ad altare, Sacerdos Secretas Orationes dicat juxta numerum antedictarum et ordinem ante epistolam, ite incipiens:

Oremus.

Quibus dictis dicat aperta voce, Per omnia sæcula sæculorum; manibus non levatis clonec dicitur Sursum corda. Et tunc accipient subdiaconus offertorium et patenam, de manu diaconi, ipsam patenam tenendam quoisque Pater noster disit: quam acolyto offertorio coopertam committat in gradu, scilicet post diaconum interim constituto.

Hoc modo incipiuntur omnes præfationes ad missum per totum annum, tam in feriis quam in festis:

Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

The Secret

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Hic elevat Sacerdos manus, dicens,

SURSUM corda.

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Dignum et justum est.

Haec præfatio est quotidiana.

The Anaphora: The Salutation

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, Æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem Majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumque

virtutes ac beata Seraphin socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut
admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes,

Sequitur Sanctus. Dum sacerdos dicit Sanctus, sanctus, erigat parumper brachia sua et jungat
manus suas, usque ad hæc verba In nomine Domine: tunc semper signet se in facie sua,

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, DOMINUS DEUS SABAOTH. PLENI SUNT CŒLI
ET TERRA GLORIA TUA. HOSANNA IN EXCELSIS. BENEDICTUS QUI VENIT IN
NOMINE DOMINI. HOSANNA IN EXCELSIS.

Dum Sacerdos dicit Sanctus, Sanctus, erigat parumper brachia sua, et jungat manus suas
usque ad hæc verba In Nomine Domini; tunc semper signet se in facie sua.

Deinde confestim, manibus junctis et elevatis oculis, incipiat Canonem Missæ,

TE IGITUR, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum,
supplices rogamus ac petimus:

Hic erigens se sacerdos osculetur altare a dextris sacrificii dicens:

Uti accepta habeas et benedicas hæc cross dona, hæc cross munera, hæc cross sancta sacrificia
illibata,

Factis signaculis super calicem, elevet manus suas ita dicens:

Imprimis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire,
adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite
nostro N. (id est proprio episcopo tantum) et Rege nostro N. et omnibus orthodoxis atque
catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.

Hic oret pro vivis.

MEMENTO, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. et omnium
circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio; pro quibus tibi offerimus vel
qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum
suarum, pro spe salutis et incolumentis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero.

COMMUNICANTES, et memoriam venerantes: In primis gloriosæ semper virginis Mariæ,
genetricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum
tuorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi,
Matthæi, Simonis, et Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii,
Chrysogoni, Johannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, et omnium sanctorum tuorum, quorum
meritis precibusque concedas; ut in omnibus protectionis tuie muniamur auxilio; Per eundem
Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic respiciat sacerdos hostiam cum magna veneratione dicens:

HANC igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiae tuie, quæsumus, Domine,
ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos
eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari; Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic iterum respiciat hostiam dicens:

QUAM oblationem tu, Deus Omnipotens, in omnibus, quæsumus, benedictum cross
ascriptam cross ratam cross rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis cross
Corpus et cross Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Canon of the Mass

Intercession

Back to the Ordinary of the Mass

Hic erigat sacerdos manus et conjungat: et postea tergit digitos , et elevat hostiam, dicens:
QUI PRIDIE quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et
elevatis oculis in cœlum,
Hic elevet oculos suos
ad te Deum Patrem suum omnipotentem,
Hic inclinet se et postea elevet paululum, dicens:
tibi gratias agens cross benedixit, fregit:
Hic tangat hostiam dicens:
deditque discipulis suis, dicens, Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim Corpus
meum.

Et debent ista vedrba proferri cum uno spiritu et sub una prolatione, nulla pausatione
interposita. Post hoc verba elevet eam supra frontem, ut possit a populo videri: et reverenter
illud, reponat ante calicem in modum crucis per eandem factæ. Et tunc discooperiat celicem et
teneat inter manus suas non disjungendo pollicem ab indice: nisi dum facit benedictiones
tantum, ita dicens:

SIMILI modo, posteaquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas et
venerabiles manus suas, item tibi (Hic inclinet se dicens) gratias agens, benedixit cross
deditque discipulis suis, dicens, Accipite et bibite ex eo omnes.

Hic elevet sacerdos parumper calicem, ita dicens:
Hic est enim calix Sanguinis mei novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis
et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.
Hic elevet celicem dicens:
Hæc quotiescumque feceritis, in mei commemorationem facietis.

Hic reponat calicem et elevet brachia in modum crucis, junctis digitis usque ad hæc verba
de tuis donis:

Consecration

UNDE ET MEMORES, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii
tui Domini Dei nostri tam beatæ Passionis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos
gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ Majestati ture de tuis donis ac datis Hostiam cross
puram, Hostiam cross sanctam, Hostiam cross immaculatam, et Calicem salutis perpetuæ.

SUPRA quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere sicut accepta
habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et
quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam
hostiam.

Hic sacerdos corpore inclinato et cancellatis manibus dicat:

SUPPLICES te rogamus, Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui
in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuie, ut quotquot,

Hic erigens se osculatur altare a dextris sacrificii dicens:

ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui cross Corpus et cross Sanguinem
sumpserimus, omni (hic signet se in faciem) cross benedictione cœlesti et gratia repleamur;
Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic oret pro mortuis.

MEMENTO etiam, Domine, animarum famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos
præcesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis: Ipsi, Domine, et omnibus in
Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur; Per eundem
Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic percutiat pectus suum semel, dicens:

NOBIS quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miseracionum tuarum sperantibus,
partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus; Cum
Johanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alessandro, Marcellino, Petro, Felicitate,
Perpetua, Lucia, Agatha, Agneta, Cæcilia, Anastasia, et cum omnibus sanctis tuis; Intra
quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed venire, quæsumus, largitor admitte; Per
Christum Dominum nostrum.

PER quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,

Hic sacerdos ter signet calicem dicens:

sanctificas cross vivificas cross benedicis cross et præstas nobis.

Hic sacerdos discooperiat calicem et faciat signaculum crucis cum hostia quinques: primo
ultra calicem ex utraque parte, secundo calici æquale, tertio infra calicem, quarto sicut primo,
quinto ante calicem:

Per cross ipsum et cum cross ipso et in cross ipso est tibi Deo Patri cross omnipotenti, in
unitate Spiritus cross Sancti, omnis honor et gloria;

Hic cooperiat sacerdos calicem, et teneat manus suas super altare usque dum dicitur Pater
noster, ita dicens:

Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Hic accipiat diaconus patenam, eamque a dextris sacerdotis extento brachio in altum usque
Da propitius discoopertam teneat. Hic elevet manus sacerdos dicens.

Oblation

Low Mass, from an old manuscript

PATER noster, qui es in cœlis, sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem.

Chorus dicat, Sed libera nos a malo. Sacerdos privatim, Amen.

LIBERA nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, et futuris: Et intercedente beata et gloria semper Virgine Dei genitrice Maria, et beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea,cum omnibus sanctis,

Hic committat diaconus patenam sacerdoti, deosculans manum ejus; et sacerdos deosculetur patenam: postea ponat ad sinistrum oculum: deinde ad dextrum: postea faciat crucem cum patena ultra caput: et tunc reponat eam in locum suum, dicens:

Da propitius pacem in diebus nostris, ut, ope misericordiæ tuie adjuti, et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi;

Hic discooperiat calicem, et sumat corpus cum inclinatione, transponens in concavitate calicis, retinendo inter pollices et indices, et frangat in tres partes dum dicitur:

Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,
secunda fractio:

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus,

Hic teneat duas fracturas in sinistra manu, et tertiam fracturam in dextera manu in summitate calicis, ita dicens aperta voce:

Per omnia sæcula sæculorum.

Chorus respondeat, Amen.

[Here the episcopal benediction is given, which varies from Sunday to Sunday.]

Hic faciat tres cruces infra calicem cum tertia parte hostiæ dcendo:
Pax cross Domini sit cross semper vobiscum.

Chorus respondeat, Et cum spiritu tuo.

Ad Agnus Dei dicendum, accendant diaconus et subdiaconus ad Sacerdotem, uterque a dextris, diaconus propior, subdiaconus remotior, et dicant privatim,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

Lord's Prayer

Hic cruce signando deponat dictam tertiam partem Hostiæ in sacramentum Sanguinis, sic dicendo,

Hæc sacro cross sancta commixtio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi omnibusque sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam æternam promerendam et capessendam praeparatio salutaris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Prayers at Commixture

Antequam Pax detur dicat Sacerdos,

DOMINE, Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, da mihi hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita digne sumere ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere et tuo Sancto Spiritu repleti; et pacem tuam habere; Quia tu es Deus solus, et præter te non est alius, cuius regnum et imperium gloriosum sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Hic osculetur Sacerdos corporalia in dextera parte et summitatem Calicis, et postea osculetur diaconum, dicens:

Pax tibi et Ecclesiæ Dei.

Responsio. Et cum spiritu tuo.

Diaconus a dextris Sacerdotis ab eo Pacem recipiat et subdiacono porrigat. Deinde ad gradum Chori ipse diaconus Pacem portet rectoribus Chori et ipsi Pacem Choro portent, uterque suæ parti, incipiens a majoribus.

Post Pacem datam dicat Sacerdos orationes sequentes privatim antequam se communicet, tenendo Hostiam duabus manibus.

The Peace

DEUS Pater, fons et origo totius bonitatis, qui ductus misericordia Unigenitum tuum pro nobis ad infima mundi descendere et carnem sumere voluisti, quam ego indignus hic in manibus meis teneo:

Hic inclinet se sacerdos ad hostiam, dicens:

Te adoro, te glorifico, te tota mentis ac cordis intentione laudo: Et precor ut nos famulos tuos non deseras, sed peccata nostra dimittas, quatenus tibi soli vivo ac vero Deo, puro corde et casto corpore servire valeamus; Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, co-operante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, Libera me, quæso, per hoc sacrosanctum Corpus et hanc Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus meis et ab universis malis: Et fac me tuis semper obedire mandatis: Et a te nunquam in perpetuum separari permittas, Salvator mundi; Qui cum Deo Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CORPORIS et Sanguinis tui, Domine Jesu Christe, Sacramentum, quod licet indignus accipio, non sit mihi judicio et condemnationi; sed tua proposita pietate corporis mei et animæ saluti. Amen.

Ad Corpus dicat cum humiliatione antequam percipiat,

AVE in aeternum, sanctissima Caro Christi, mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo. Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi peccatori via et vita,

In Nomine cross Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Hic sumat Corpus cruce prius facta cum ipso Corpore ante os.

Deinde ad Sanguinem cum magna devotione dicens,

AVE in aeternum cælestis potus, mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo. Corpus et Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosint mihi peccatori ad remedium sempiternum in vitam æternam. Amen.

In Nomine cross Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Hic sumat Sanguinem: quo sumpto inclinet se Sacerdos et dicat cum devotione orationem sequentem,

Gratias tibi ago, Domine, Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, qui me refecisti de sacratissimo Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi: Et precor ut hoc sacramentum salutis nostrae, quod sumpsi indignus peccator, non veniat mihi ad judicium neque ad condemnationem pro meritis meis; sed ad profectum corporis mei et animae saluti in vitam æternam. Amen.

Prayers & Reception

Qua dicta eat sacerdos ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus, digitis adhuc conjunctis sicut prius; el accedat subdiaconus, et effundat in calicem vinum et aquam; et resinceret sacerdos manus suas, ne aliquæ reliquiæ corporis vel sanguinis remaneant in digitis vel in calice . . .

Post primam ablutionem dicitur hæc oratio:

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Hic lavet digitos in concavitate calicis cum vino infuso a subdiacono; quo hausto, sequatur oratio:

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et cælestis remedii faciat esse consortes.

Post perceptionem ablutionum ponat sacerdos calicem super patenam, ut si quid remaneat stiller; et postea inclinando se dicat:

Adoramus crucis signaculum per quod salutis sumpsimus sacramentum.

Deinde lavet manus: diaconus interim corporalia complicet. Ablutis manibus et redeunte sacerdote ad dextrum cornu altaris, diaconus calicem porrigat ori sacerdotis, si quid infusionis in eo remanserit resumendum. Postea dicat cum suis ministris Communionem. Deinde facto signo crucis in facie vertat se ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis et junctis manibus dicat,

Dominus vobiscum.

Et iterum revertens se ad altare dicat:

Oremus.

Prayers at Ablutions

Deinde dicat Postcommunionem, juxta numerum et ordinem anledictarum orationum ante Epistolam.

[Here is inserted the post-communion prayer, which varied from day to day.]

Finita ultima Postcommunione, factoque signo crucis in fronte, iterum vertat se sacerdos ad populum, et dicat:

Dominus vobiscum. Deinde diaconus: Benedicamus Domino. In alio vero tempore dicitur, Ite missa est. Quotiescumque enim dicitur, Ite, missa est, semper dicitur ad populum convertendo, et cum dici debeat, Benedicamus Domino, convertendo ad altare dicitur.

Post-communion

His dictis, Sacerdos, inclinato corpore junctisque manibus tacita voce coram altari in medio, dicat hanc orationem,

PLACEAT tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meae: Et praesta ut hoc sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, sit, te miserante, propitiabile; Qui vivis et regnas Deus per omnia sæculorum. Amen.

Qua finita erigat se Sacerdos signans se in facie sua, dicens,
cross In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et sic inclinatione facta, eo ordine, quo prius accesserunt ad altare in principio missæ, sic induiti cum ceroferariis et cæteris ministris redeant. Sacerdos vero in redeundo dicat Evangelium: In principio.

[At this point the priest recites John 1:1-14.]

Cum vero Sacerdos exuerit casulam et alia indumenta sacerdotalia, dicat Psalmos subscriptos cum Antiphona Trium puerorum. Ps. Benedicite sacerdotes usque ad finem cantici. Ps. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Ps. Nunc dimittis cum Gloria Patri et Sicut erat.

Deinde dicitur tota Antiphona,

Trium puerorum cantemus hymnum quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum.